



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxonæ S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titulus VIII. De Introitu, Kyrieleison & Gloria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

TITULUS VIII.

De Introitu, Kyrie eleison, et Gloria in Excelsis.

N. 3. **G**loria in Excelsis dicitur, quoadocumque in Matutinis dictus est Hymnus Te Deum : exceptis Missis Vigiliarum, quæ incidunt infra Octavam, in his enim non est Gloria, licet in Officio fuerit Te Deum : quem ritum ostendit Missale in Vigilia Ss. Petri & Pauli, ac Assumptionis B. Mariæ Virginis.

N. 4. In Missis votivis privatis seu non solemnibus etiam tempore Paschali vel infra Octavas non dicitur Gloria : nec in Missis votivis de B. Virgine, nisi dicantur in Sabbato, Sabbatum enim habet solemnitatem aliquam in honorem B. Virginis & Angelorum. Semper autem dicitur in votiva solemnibus pro re gravi, aut publica Ecclesiæ causa : dummodo non celebretur in Paramentis violaceis. Item in missa de sancto, qui titulus est Altaris, in die festo ejus, dicitur Gloria : etsi de eo non sit factum Officium.

Si legas in alia Ecclesia Parochiali aut Regulari, potes legere de festo illius loci, imò juxta GAV. Parte 3. tit. 10. n. 26. debes, etsi missa discordet cum Officio, adeoque tum legi poterit Gloria & Credo juxta ritum illius Ecclesiæ, etsi ratione tui Officii omittenda forent. Quæ tamen intelligenda sunt de missa pro omnibus approbata. Unde apud nos legens in Festis Ordinis, non debet missam sumere ex Proprio Ordinis, sed ex Missali Romano si habeatur de illo festo. Vel de Communi, addendo Gloria & Credo : idem vice versa, si nos legamus apud alios, de obligatione quidquid sit : id tamen omnino suadetur, ut, si v. g. in Dominicis legas apud alios, & ratione Officii tui adhibenda forent Paramenta alba vel rubra : aut econtra, tu habes Officium de Dominica, alibi agitur de Dedicatione, Patrocinio vel alio festo, ut te omnino accomodes loco. Saltem in festis solemnioribus.

B

TITU-